

successoribus ac a nostra ecclesia Missinensi perpetue possidendam. In quorum omnium testimonium praesentem nostram litteram scribi fecimus et sigilli nostri maioris appensione muniri. Datum et actum in castro nostro episcopali Stolpin anno domini M^o. CCC^o. LV^o. in die beati Lamperti, praesentibus discretis viris Johanne provitore nostro in Stolpin, Lutoldo de Stuternheim notario nostro et Hertnido(?)⁴⁾ de Malowe magistro camerae nostrae testibus ad praemissa vocatis et aliis pluribus fide dignis.

Nach Grundmann's handschr. Collectaneen z. Meissn. Gesch. II fol. 48 im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

4) Gr. Hertundo.

No. 41. 1359. 24. Juni.

Kaiser Karl IV. bestätigt der Stadt Pirna das von seinem Vater dem König Johann von Böhmen unter dem 20. April 1325 ertheilte Privilegium (No. 15).

In nomine sanctae et individuae trinitatis feliciter amen. Karolus quartus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et Boemiae rex ad perpetuam rei memoriam. Suscepti regiminis nos admonet sollicitudo continua, ut qui auctore deo imperio sacro et regnis feliciter praesidere dinoscimur, dum de universorum nobis subditorum sumus salute pervigili cura solliciti, speciali quadam diligentia de civitatum et opidorum hereditarii regni nostri Boemiae nostrorumque in illis fidelium statu felici et pro futuris commoditatibus meditemur. Quia igitur fideles nostri dilecti . . cives de Purnis nostrae maiestati humiliter supplicarunt, ut privilegium a clarae memoriae illustri Johanne quondam rege Boemiae genitore nostro carissimo super certis suis et eiusdem civitatis nostrae Purnis iuribus libertatibus gratiis theloneis consuetudinibus et statutis eis iamdudum concessum innovare approbare et confirmare gratiosius dignaremur, cuius quidem privilegii tenor de verbo ad verbum per omnia talis est: Nos Johannes dei gratia Boemiae et Poloniae rex ac Lucemburgensis comes ad universorum tam praesentium quam futurorum notitiam volumus tenore praesentium pervenire — No. 15 —. Datum Pragae XII^o. Kalen. Maii a. d. millesimo trecentesimo vicesimo quinto, ideoque praedictorum civium nostrorum de Purnis precibus utpote iustis et rationabilibus favorabiliter inclinati supradictum privilegium paternum et omnia ac singula in eo contenta necnon iura libertates gratias thelonea consuetudines et statuta per idem privilegium memoratis civibus et civitati concessas et concessa ac omnia et singula in eo contenta prout rationabiliter et provide processerunt ratas habentes et grata ratasque et grata auctoritate regia Boemiae innovamus approbamus et ex certa nostra scientia confirmamus eaque omnia et singula auctoritate praedicta Boemiae regia decernimus et volumus perpetuam habere firmitatem. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae maiestatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem contrarium attemptare praesumpserit, indignationem regiam poterit merito formidare.

Signum serenissimi principis et domini domini Karoli quarti Romanorum imperatoris invictissimi et gloriosissimi Boemiae regis.

Testes huius rei sunt venerabiles Arnestus Pragensis archiepiscopus, Johannes Luthomuslensis, Johannes Olomucensis, Theodricus Mindensis et Maurus Corbaniensis